



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

77. Dominica 1. Qudragesimæ. Tria mala mundi triplici modo superanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

O quàm libenter tum fuisset sepulta cum Filio meo!

6. Dolor desiderij. Patiebar, inquit, et vehementi desiderio perveniendi ad Filium meum, postquam ipse ascendit ad coelum. Quia longa mora, quã habui in mundo post ascensum ejus, dolor est meum augmentabat.

7. Dolor compassionis dilectorum Dei. Patiebar, inquit, dolorem ex tribulatione Apostolorum, & amicorum Dei, quorum dolor erat dolor meus, timens semper, ne succumberent, & dolens, quòd verba Filij mei ubique haberent contrarietatem.

MEDITATIO LXXVII.

Dominica I. Quadrag.

Tria mala mundi triplici modo superanda

V Ideo Dominum anno ætatis suæ 31. a

7. Januarij post baptismum usque ad 18. Febr. jejunantem, & tentatum in eo deserto, ubi inciderat in latrones ille. Luc. 10. Petam lumen pugnandi cum hoste, & vincendi.

Conf. 1. Primam hostilitatem esse delectationem, quæ sub falsa ratione boni obijciatur sensibus, & appetitui. Sic dæmon hodie Christo objecit panes, quem Dominus continuo rejecit unico, *Non in solo pane &c.* Quod remedium contra delectationem ipse fuisse explicat D. Gertru. l. 4. c. 17. *Cum quis impugnetur*

Dominica I. Quadragesima. 129

gnatur aliquâ delectatione, quanto magis sequitur impetum delectationis, tanto inordinatior efficitur ad resistendum, quia intrat in tentationem.

Conf. 2. Alterum hostem esse consensum, à quo vincitur, qui delectationi locum dat. Christus hinc se facilius liberauit, dum audiret: *Mitte te deorsum*: Quò generosiùs primæ tentationi se opposuit iterando: *Non tentabis Dominum, &c.* Quæ resistentia à jejunante facta: quia jejunium addit vires resistendi. Ceciderunt pastos impasti, ait Tertull. de Israëlitis cædentibus Philistæos 1. Reg. 14. quod D. Ambr. Serm. 25. non tam virtute militum, quàm abstinentiâ ait factum: & Ecclesia miram jejunij vim in orationibus suis proponit, dum ait: Quòd jejunando ab epulis contra spirituales nequitias pugnaturi, ab omnibus adversitatibus, per promptiora continentiæ auxilia muniamur in corpore, impetremus abstinentiam à vitij, & delictis, à passionum tyrannide liberemur, à pravis cogitationibus mundemur, purificemur, & sanctificemur in mente: donemur virtute, celestibus instruamur disciplinis, placeamus Deo, ejus desiderio accendeamur, gratiâ Dei & devotionis satiemur, cunctis efficiamur hostibus fortiores, subsidia præsentia & futura, indulgentiæ, salutisque æternæ remedia, ac beatæ perennitatis effectum obtineamus.

Conf. 3. Tertiam hostilitatem Concupiscentiam, quasi mundi diluuium, quam ut in Christo excitaret dæmon, ostendit ei omnia regna mundi, sed audiit: Vade Sathana D. Deum adorabis, & illi soli seruias. Est concupiscentia affectus ad ea, quæ non habentur. Superatur reuuntiatione amoris omnium, & hic habetur cognitione, quòd nihil sit amore dignum, præter Deum: Quia nihil meretur nomen boni, nisi Deus: quæ cognitio meditatione acquiritur; unde apud D. Gertr. l. 4. c. 56. orantibus Dæmones cum mundi rebus se insinuantes, audiendo: Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsimus, confusi dæmones omnes, ut canes rabidi aqua calidâ perfusi velocius aufugerunt: Et quoties ex corde id dicitur, propter amorem IESV, virtus Diaboli fugatur. Petam miles à Duco IESV stipendium vite: ita SS. Eucharistiam nominat D. Paschasius de Ven. c. 8. Orabo. 1. Veniam culpæ. 2. Pœnæ. 3. Præsertionem à lapsu. Ut recedamus ab hac mensa facti diabolo terribiles, ita D. Chrysost. Hom. 61,

MEDITATIO. LXXVIII.

Feria 2. Domin. Quadrag.

*Collaborandum D. IESV, ne iterum
7. tedia passionis ferat.*

Aspiciam D. magnitudinæ doloris impulsu